



**MAGNI OPERIS || DE OMNI=||BVS GERMANIAE ||
EPISCOPATIBVS || EPITOMES:||**

CONTINENS ANNALES || Archiepiscopatus MOGVNTINI ac duodecim ||
alioru[m] Episcopatum, qui Moguntino Suffra=||ganeatus titulo subsunt:
Item BABEN=||BERGENSIS Episcopatus, ab || omni iugo Archiepiscopali ||
exempti.||

Brusch, Kaspar

Noribergae, 1549

VD16 B 8782

Decimvm Tertivm, omnes Halberstatenses.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64715](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64715)

DECIMVM TERTIVM

Caput de omnibus Halberstaten-
sis Ecclesiæ Præsulibus ac Episcopis.

HALBERSTATENSIS Episcopatus in Saxo-
nibus, à Diuo Carolo magno nunquam satis lau- ato
Galliarū Rege ac Imperatore Romano fundatus incho-
atus ac liberalissime donatus est, anno Christianæ salu-
tis 720. Cæpit autem non Halberstadi, sed apud Selin-
genstadum siue Osterwicum, ubi Carolus Magnus
magnificum templum construi fecit. Inde Episco-
patus iste Salingenstadianus etiam et Osterwicensis
Episcopatus dici olim solitus est. Translatus uero est
in confluentiam Albis ac Oræ fluuiorum, ut in com-
modiorem ac utiliorem locum ab eodem Carolo Ma-
gno et primo antistite S. Hildegrino, qui huic nouæ
urbi et Ecclesiæ iam inchoatæ à confluxu amnium,
nouum etiam nomen indiderunt: appellantes A L-
B O R A E S T A D V M, quasi urbem ad Albim et
Oram annes sitam. Habentur et extant adhuc in
Halberstadiana Ecclesia Caroli magni diplomata, an-
no domini 804 data, quibus terminos huius Episcopat-
us circumscribens egregie inseruit omnes. Huius Eccle-
siæ gubernatores ad hæc nostra usq; tēpora fuerunt hi-
sequentes, propter angustiā temporis et urgente Ty- po
graphi festinationē titulotenus saltem adscripti de qui-
bus tamen qui plura legere uoleat, Crantzij Metropo-
lin inspiciat ac legat.

S. HIL-

CATALOGVS EPISCOP.

1. S. HILDEGRINVS Cataloniensis, patre Dietgerino, matre uero Lieburga natus: ex Cataloniensi Episcopo, primus ecclesiæ Salingæsladianæ antistes ac præsul designatus est à Carolo Magno Galliarum Rege, anno domini 780. Præfuit summa cum pietate, docendo & concionando & gubernando commissam sibi prouinciam, summa item integritate uitæ annis 47. Sub eius gubernatione translata est Episcopalis sedes ex Osterwico uel Selgenstadio ad Cōfluentes Elboræ stadienses: in quibus coepit est ab Hildegrino Episcopo & Carolo Magno urbs Elboræstadium, quam nunc paululum immutatis literis Halberstadium appellamus. Obiit anno domini 817 decima nona Iunij. Sepelitur in monasterio Dwerdensi ad Ruram fluum à se fundato. Habuit germanum fratrem Luderum uel Ludigerum primum Ecclesiæ Mimigardeuordensis, hodie Monasteriensis Episcopum.

2. THIAGRINVS uel Dictgrinus Episcopi Hildegrini ex fratre nepos, cōstituitur ex Corbelesi Abbatie Episcopus secundus Elboræstadianus ab Imperatore Ludouico Pio, anno domini 817. Præfuit 14 annis, obiit anno domini 841. Sepelitur in Dwerdensi cœnobio.

3. HEYMO ex monacho Hirsfeldensi tertius designatur Episcopus Elboræstadianus anno 841. Præfuit annis 17. Fuit Episcopus doctus, cuius extant commentarij in omnia scripta Prophetica & Apostolica. Obiit anno domini 853. Sepelitur in summo templo Halberstatensi.

4. HILDE-

HALBERSTATENSIVM. 225

4. HILDEGRINVS secundus, primi ex sorore nepo, eligitur anno gratiæ 853. Præfuit prudentissime ac optime annis triginta quatuor, obijt anno salutis 887. Sepelitur in cœnobio Zwerdensi apud antecessores consanguineos suos.

5. EVILPVVS alijs Ewilpus successit Hildegrino secundo anno Domini 887, præfuit annis nouem, obijt anno gratiæ 896, sepelitur in Cathedrali Ecclesia Halberstadiana.

6. SIGISMVNDS ex Hirsaugiensi cœnobita, Episcopus constituitur Halberstadianorum ab Imperatore Arnolpho anno 896. Præfuit summa uirtute annis triginta, obijt anno gratiæ 916 decima quarta Ianuarij.

7. BERNHARDV S Burggrauius Magdenburgensis, electus in Episcopū anno Domini 916. Præfuit annis quadraginta octo. Decessit ex hac mortali uita anno salutis 974, sepelitur in S. Stephani Basilica à se instaurata iterum. Fundauit de proprijs monialium cœnobium Hadmersheymense, in quo primā Abbatissam constituit sororem suam.

8. HILDEVWARDVS comes Zwarlouianus, eligitur ex præposito in Episcopum anno 974. Præfuit annis uiginti duobus, obijt anno Christianæ salutis noningentesimo nonagesimo sexto. Sepelitur in Cathedrali Ecclesia Halberstadiana.

9. ARNOLDVS successit Hildewardo, præfuit

Gg annis

CATALOGVS EPISCOP.

annis 27. Valcdixit hominum in terris uiuentium consuetudini anno gratiae 1023.

10. BRANTHO uel Brandago eligitur Bambergae anno 1023 a S. Henrico Imperatore ex Abbatie Fuldense in Episcopum Halberstatensem: Praefuit Episcopatui annis tredecim, euocatur ex hac uita anno salutis 1036. Sepelitur Elboræstadi apud antecessores suos.

11. BVRCARDVS comes a Voburg, Bauarus: eligitur anno Domini Millesimo tricesimo sexto. Praefuit 13 annis: Obiit anno Dominicæ incarnationis Millesimo quinquagesimo nono.

12. BERNHARDVS Bucko ex Goslariensi praeposito Episcopus constituitur anno Domini 1059. Praefuit summa prudentia annis uiginti octo, et si in maxima temporum suorum difficultatibus. Obiit undecima Aprilis, anno Christianorum 1088 sagittæ iactu uerberatus, coorta seditione inter ciues Halberstatenses. Euchitetur Ilsenburgum, et ibi in coenobio Benedictino a se constructo honorifice sepelitur.

13. DIETMARVS eligitur per discordiam, anno Domini 1088. Praefuit diebus sedecim tantum, et sua bito moritur, non sine magna porrecti uenenis suspitione: uir pius ac iustus maioriq; loco dignissimus.

14. HARRANDVS alijs Stephanus successit Diethmaro: praefuit annis tredecim. Obiit uicesima tercia Octobrium, anni a nato Christo Millesimi centesimi primi. Sepelitur in coenobio Reinhardisbornensi apud

HALBERSTATENSIVM.

226

Si apud Thuringos, cuius olim fuerat conuentualis. Vacuit sedes Episcopalis defuncto Harrando sex annis cum propter Saxonicas turbas, tum propter disceptationes Canonicorum Halberstatensium.

15. REINHARDVS, eligitur anno 1107. Praefuit quindecim annis. Pugnauit anno Domini 1115. contra Henricū V. Imperatorē ad Welponis syluam: ubi Cæsarum exercitum fudit ac profligauit. Obijt anno Domini Millesimo centesimo uigesimo secundo. Sepelitur Halberstadi in summo urbis templo.

16. OTHO eligitur anno Domini 1123. Praefuit sex annis, & accusatus apud Pontificem Maximum Honorium secundum, quod largitionibus & Simoniacis artibus peruenisset ad Ecclesiæ gubernaculum exauthoratus est ab eo, anno Domini 1129. Sequentे anno mortuo Pontifice Honorio, ab Innocentio secundo restituitur. Praefuit prudenter ac fideliter ad annum Christi usq; 1133, & ab eodem Innocentio iterum exauthoratur in Synodo Pisana. Quo uero postea peruerterit, aut qua fortuna uixerit, ignoratur.

17. RODOLPHVS, eligitur anno Domini 1133. Praefuit sedecim annis. Condidit templum D. Virginis in regione Basilicæ S. Stephani. Obijt sexta Octobrii, anni à nato Christo Millesimi centesimi quadragesimi noni. Sepelitur apud D. Virginem.

18. V DALRICVS ex preposito Ecclesiæ
Gg 2 ad

CATALOGVS EPISCOP.

ad D. Virginem, Episcopus creatur anno Domini 1149
Præfuit turbulentissimis temporibus annis triginta tri-
bus, obiit animi mœrore in cœnobio Hugshofensi tri-
cesima Iulij, anno Domini 1182: ubi terræ etiam manda-
tus est. Geſſit bellum calamitosissimum cū duce Brun-
ſuicensi Henrico Leone, à quo ipſe uictus & captus:
urbs uero Halberstatensis incensa tota deflagravit, cu-
ius cum totus clerus et populus in summum templum
fugisset, ſperans id futurum tutum refugium: ctiam
idipſum ignibus correptum, cum omnibus ciuibus ac
ſacerdotibus incomparabili clade & calamitate con-
flagravit & in cineres redactum eſt. Hæc immensa
calamitas uersu Adonico descripta eſt, quam tantope-
re festinante Typographo huic libello inſerere non po-
tui. vide de hoc Episcopo plura in Saxonia Alberti
Crantzij.

19. THEODORICVS eligitur à quibusdam ſua
perfittibus adhuc Canonis ex prepoſito D. Virginis
in Episcopum anno Domini 1182. Præfuit tredecim an-
nis, templum incendio uastatum mediocriter restituens.
Obiit anno Christi 1195. Sepelitur in ſummo Halberſtaa-
tensi templo, ante aram S. Crucis.

20. BARTHOLDVS alijs Gardolphus, eligitur
ex Decano in Episcopum anno ſalutis 1195. Præfuit ſe-
ptem annis. Obiit in Kaldenbornensi cœnobio uicesia
ma prima Auguſti, anno gratiæ 1202. Reuectus Halbe-
ſtadum, honorifice ibidem humatur.

21. CONC

HALBERSTATENSIVM. 117

21. CONRADVS constituitur Episcopus Halberstadianus anno Domini 1101. Præfuit septem annis, & resignat Episcopatum anno 1109 concedens in Monasterium Sittichenbacense, ubi reliquum uitæ excit.

22. FRIDERICVS Burggrauius Kirchbergensis ex Thuringis natus, eligitur anno domini 1109 ab una nimiter consentiente Canonicorum collegio. Præfuit utiliter annis uno & uiginti. Obiit anno 1131. Sepelitur cum omnium suorum lachrymis in Cathedrali templo Halberstatensi.

23. LVDOLPHVS comes à Schladem, eligitur in Episcopum anno 1131, præfuit annis tredceim, obiit anno Domini 1145. Sepelitur in summo templo.

24. MEINHARDVS alijs Maynerus Kransfeldius, eligitur anno 1145, præfuit annis quatuordecim cum plurima laude, obiit anno 1159. Sepelitur extra urbem muros apud S. Burcardum.

25. LVDOLPHVS comes à Schladem, præfuit duobus annis & resignat.

26. VOLRADVS Kransfelderus, eligitur anno Domini 1161, præfuit annis nouem, ualedixit una cum Episcopatu uitæ etiam mortali, anno Domini 1170.

27. HERMANNVS comes de Blanckenberg successit Volrado: præfuit annis undecim. Decessit ex hac mortali uita, anno Dominicæ incarnationis Millesimo ducentesimo octogesimo primo.

28. ALBERTVS vir insignis ex Comitibus

Gg 3 Anhal

CATALOGVS EPISCOP.

Anhaldinis natus, eligitur in Episcopum Halberstatensem anno Domini 1131. Praefuit annis 44. Decessit ex hac mortali uita ad immortalem anno 1326.

29. ALBERTVS dux Brunsuicensis eligitur anno Christianorum 1327, praefuit laboriosissime in summis difficultatibus annis triginta & aliquot mensibus. Obiit anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo: Sepelitur in Basilica Brunsuicensi.

30. LVDOVICVS Landgravius Thuringiae & Marchio Misniæ constituitur Episcopus Halberstatensis anno Domini 1358, praefuit octo annis, & postulatur ad gubernationem Episcopatus Bambergensis anno 1366. De quo plura habes in Moguntinis & Bambergensibus.

31. ALBERTVS ex pago Rickmerstorffensi natus, patre Agricola, eximius & eloquentissimus docttor Parisiensis, acutissimus Philosophus, cuius extant scripta Sophismata: eligitur in Halberstatensem Episcopum anno Domini 1366, praefuit uiginti quatuor annis. Pugnat infeliciter aduersus Hildesheymensem Episcopum, & uincitur Logica à Rhætorica: ut supra in Hildesheymensibus dictum est. Decessit ex hac mortali uita anno Domini 1390.

32. ERNESTVS comes ab Honstein eligitur anno 1390, praefuit annis fere decem, exauthoratur anno Domini 1399. Sequente anno mortuus, septem annis manavit inhumatus, sepelitur tandem Halberstadi ad S. Stephanum.

H ALBERSTADENSIVM. 28

phanum. Geſſit perpetuum bellum contra Fridericum
ducem Brunsuicensem, homo ſupra mediocritatem con-
tenciosus.

33. RVDOLPHVS comes Anhaldinus ſuccēſſit
exauthorato Epifcopo Erneſto, anno domini 1399. Præ-
fuit annis ſeptem, extinguitur mœrore animi anno Dō-
minicæ Incarnationis 1406. Sepelitur Halberſtadi in Ca-
thedrali Eccleſia.

34. HENRICVS Baro uel Comes de Dwerberge,
eligitur anno Dominicæ incarnationis 1409, præfuit an-
nis quatuor & aliquot mensibus, obiit anno Domini
1411. Sepelitur in Halberſtadiana Cathedrali Basilica.

35. ALBERTVS comes de Dwerningenrode ſuc-
ceſſit Epifcopo Henrico anno Salutis 1411, præfuit fide-
liter annis ſeptem, obiit anno Domini 1418.

36. IOHANNES nobilis heros ab Hoym, præfuit
post Alberti mortem, Canonice ſubrogatus, annis ſe-
ptendecim, obiit anno Christi 1435.

37. BVRCARDVS Baro uel comes de Dwerber-
ge ſuccēſſit in gubernatione Epifcopatus Ioanni Hoy-
mensi anno 1435, præfuit uaria fortuna annis 13, obiit
anno Domini 1458.

38. GEBEHARDVS nobilis Regulus de Hoym,
eligitur anno gratiæ 1458, præfuit ſumma cum laude
annis uno & uiginti. Resignauit anno 1479.

39. ERNESTVS Saxoniæ dux, Archiepi-
ſcopus Magdenburgensis & Germaniae Primas,

Gg 4 postu.

CATALOGVS EPISCOP.

postulatur & assumitur in administratorem Halberstatensem unanimi consensu totius cleri anno Domini 1479. Administravit Episcopatum Halberstatensem annis triginta quatuor. Valedixit huic mortali uitæ anno Domini 1513.

40. ALBERTVS Marchio Brandenburgensis, Archiepiscopus Magdenburgensis & Moguntinus Cardinalis, de quo legisti plura in Episcopis Moguntinis: assumitur in administratorem etiam Ecclesie Halberstatensis anno Domini 1513. Praefuit annis triginta duobus. Obiit anno Domini 1545. Sepelitur Moguntiae apud S. Martinum. Vacavit post huius mortem Halberstatensis Ecclesia annis tribus.

41. IOANNES Albertus Marchio Brandenburgensis Archicpiscopus Magdenburgensis & Germaniae Primas: antea uiuente adhuc Cardinale Alberto, coadiutor: constituitur & eligitur in Episcopum Halberstatensem anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Praest adhuc hoc anno Millesimo quingentesimo quadragesimo nono.

D E C I M V M Q V A R- tum Caput de omnibus Ecclesice Verdensis Episcopis.

V ERDENSIS Episcopatus in Orientali Saxonia, ultra Visurgen amne, inchoatus est decuictis

SAXO